

19. Error « juris » circam ipsam rem matrimonialem dirimit matrimonium in impuberibus, non autem in puberibus, qui praesumuntur debitam de matrimonii natura notitiam habuisse. Excipe, nisi formaliter pars contrahens, stante errore, positivam [et quasi deductam in pactum] intentionem substantiae contractus oppositam habuerit, quod ipsi plane demonstrandum incumbit. Ad rem:

a) Error « juris » circa essentialiem matrimonii proprietatem [unitatem, indissolubilitatem, procreationem prolis] non obstat validitati contractus, nisi tamen, positivo actu voluntatis, error ille in substantiale conditionem contractus deductus fuerit, quod non praesumitur, sed probari debet.

b) Error « facti », etiam vincibilis, sive antecedens, sive concomitans, quoad personam ejusve qualitates [quales sunt v. g. aetas, pulchritudo, fortuna, etc.] quoties proprie et « substantialiter » fallit intentionem contrahentis, matrimonium dirimit; nec sanatur illud vitium consensus sola voluntate interpretativa contrahentis. — In specie, de errore circa « conditionem servilem » contrahentis vide quae diximus pag. 08.

c) Error « facti » circa validitatem ipsius matrimonii contracti, per se non obstat ejus validitati si errans verum intenderit contractum inire; secus, si, conscientius impedimenti quod revera non existebat, solum concubinatum, sponsalia aut meram caeremoniam intenderit.

20. Vis ac metus [coactio moralis] per se non tollit simpliciter, sed, plus minusve, diminuit voluntarium. — Generatim matrimonium irritat ille metus qui ceteros contractus facit rescissioni obnoxios. Ad rem:

a) Practice, matrimonium dirimit solus metus gravis, naturalis, injustus quoad substantiam, ab extrinseco, et libera causa ad extorquendum consensum incussus. Metus gravitas non objective et absolute tantum, sed subjective et relative, juxta personae statum et conditionem, aestimatur.

b) Impedimentum vis et metus probabilius est de jur ecclesiastico<sup>2</sup>; nunquam tamen Ecclesia in eo dispensat.

c) De matrimonio infidelium inito sub metu, dubitatur an sit validum. In omni casu sola persona metum passa favorem juris obtinet. Non praesumitur metus, sed probatur.

d) Plectuntur excommunicatione latae sententiae [non reservata] domini temporales et magistratus qui quovis modo subditos suos vel quoscumque alios « cogunt » quominus libere contrahant matrimonium<sup>3</sup>.

21. Condicio aposita<sup>4</sup> contractui matrimoniali, etsi Ecclesiae odiosa, non idcirco per se illum reddit invalidum; — semper tamen prohibetur usus matrimonii usquedum de verificatione conditionis contrahentibus constiterit. — Multiplex esse potest casus juxta considerationem temporis, et naturam conditionis apposita matrimonio. Ad rem:

a) Si condicio sit de praeterito vel de praesenti, valet matrimonium existente conditione; ipsa deficiente, non valet. Si condicio sit de futuro « necessario » valet illico matrimonium nisi contrahentes intenderint suspendere consensum usque ad tempus impletae conditionis. Si condicio sit de futuro « contingenti », suspenditur validitas contractus donec conditio verificetur, qua impleta, matrimonium statim ipso jure valet, ideoque sine novo consensu.

<sup>1</sup> Cfr. Moralist. ad h. t.

<sup>2</sup> Gasparri, 8; Sanchez, IV, 14, n. 2.

<sup>3</sup> Trid. XXIV, 9.

<sup>4</sup> C. tit. *De Conditionibus* X, IV, 5;

S. Alphons. VI, 890; *Homo Apostolic.*  
XVIII, 33; Lehmkuhl, II, 686.

b) Irritat matrimonium conditio quae est « directe » naturae aut proprietatibus matrimonii [id est bono sacramenti, fidei vel proli] contraria, et formaliter in pactum deducta.

c) Conditio impossibilis tamquam non adjecta reputatur, nisi tamen contrahentes formaliter intenderint suum consensum tali conditioni subordinare, quo in casu matrimonium reddit invalidum.

d) Conditio in honesta [quaem tamen non sit contra substantiam conjugii et in pactum deducta, ut supra] presumptione juris pro non adjecta reputatur.

e) Conditio de servanda perpetua castitate probabilius per se non ipsum « radicale jus », sed tantummodo separabile ab ipso « exercitum » matrimonii attingit: valet, ideo, matrimonium sub tali conditione initum<sup>1</sup>: secus, si haec conditio, etiam temporanea, formaliter contra ipsum jus matrimoniale « in pactum » esset deducta.

22. Clandestinitate<sup>2</sup>, jure Tridentino, ubi caput Tametsi [ss. XXIV de Ref., c. 1] publicatum est, et ex decreto. *Ne temere* amplius valida non sunt matrimonia « clandestina », quae, scilicet, absque proprii sponsorum Parochi et duorum saltem testium assistentia contrahuntur. Ad rem:

a) Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram Parochio vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. i et l ponuntur<sup>3</sup>.

b) Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt:

§ 1º a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati, vel ab officio suspensi<sup>4</sup>;

§ 2º intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimonii nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt<sup>5</sup>;

§ 3º dummodo invitati ac rogati, et neque vi, neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum<sup>6</sup>. At, adverte, *Ordinarii et Parochi nedum explicite, sed etiam implicite* « invitati ac rogati », dummodo tamen « neque vi, neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum » valide matrimonii assistunt<sup>7</sup>. Haec omnia et in matrimonii mixtis requiruntur<sup>8</sup> praeterquam in Germania et Hungaria ex Const. *Provida*.

c) Licit autem adsistunt:

§ 1º constituto sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis<sup>9</sup>;

§ 2º constituto insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commemoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii<sup>10</sup>;

§ 3º quod si deficiat, ut Parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia Parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excusat<sup>11</sup>.

<sup>1</sup> Palmieri, *De matrim.* p. 17 Oury  
Ballerin. *Op. cit.* II, 752; Lehmkuhl II,  
690; S. Thom. IV, *Sent. d.* 30, q. 2, a. 1.

<sup>2</sup> Cfr. D. D. in tit. *De Clandestin.* de-  
sponsat. X, IV, 3.

<sup>3</sup> Decret. *Ne temere*, 2 august. 1907,  
ad III.

<sup>4</sup> Id. ad IV.

<sup>5</sup> Id. Ibid.

<sup>6</sup> Id. Ibid

<sup>7</sup> Declar. S. C. C. 1 febr. 1908, ad IV.

<sup>8</sup> Cfr. Lehmkuhl in Schneider. *Ma-  
nuale Sacerdot.* pag. 341, ad IV: S. C.  
C. 27 jul. 1898, ad III.

<sup>9</sup> Decret. *Ne temere* cit. ad V.

<sup>10</sup> Id. Ibid.

<sup>11</sup> Id. Ibid.

§ 4º Quoad vagos, extra casum necessitatis Parocho ne liceat eorum matrimoniiis adistere, nisi re ad Ordinarium, vel ad ab eo delegatum sacerdotem, delegatam licentiam adistendi impetraverit <sup>1</sup>.

§ 5º in quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae Parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset <sup>2</sup>.

d) Nomine Parochi in jus ante piam veniebant illi omnes qui, ex officio aut universalis commissione, ecclesiis parochialibus praesunt, sive immediate, sive mediate illarum administrationem exerceant. Ita:

— a) S. Pontifex ubique; b) Legatus Sedis Apostolicae in sua legationis provincia; c) Vicarius Apostolicus; d) Archiepiscopus, in sua diocesi et quandoque in dioecesi suffraganeorum; e) pro tota dioecesi: 1) Episcopus ejusque Vicarius generalis; Vicarius capitularis sede vacante; f) pro sua parochia: 1) parochus titularis; 2) vicarius perpetuus; 3) rector seu administrator parochiae vacantis; 4) parochus, vicecuratus, vicarius ab Ordinario pastore habens in parochia plenam potestatem jurisdictionis [delegatus ad universalitatem causarum].

e) Sed, ex novissimo jure piano, et in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et Parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necrum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus <sup>3</sup>.

f) Valide assistit matrimonio Parochus, tam tunnodo sacerdos, quamdui titulum non amisit, non suto publice censuratus <sup>4</sup>, etiam contra prohibitionem Episcopi <sup>5</sup>; idem dicendum de Parocho « putativo », qui tamen, stante errore communis, titulum coloratum habeat.

g) Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alio sacerdoti determinato ac certo, ut matrimonii intra limites sui territorii adistat. Delegatus autem, ut valide et licite adistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro Parocho et loci Ordinario n. b et c superius statutas <sup>6</sup>.

h) Imminente mortis periculo, ubi Parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae [et si casus ferat] legitimatio prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus <sup>7</sup>. Et de hoc infra.

i) Si contingat ut in aliqua regione Parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emissio a sponsis formalis consensu coram duobus testibus <sup>8</sup>. In bus utrisque postremis adjunctis [h. i.] sacerdos in primo, testis in altero tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initium coniugium in praescriptis libris quam primum adnatetur <sup>9</sup>.

<sup>1</sup> Decret. *Ne temere* cit. ad. V.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Decret. *Ne temere* cit. n. VIII. — Cfr. S. C. Sacram. in *Romana et Aliarum* 29 jun. 1910.

<sup>4</sup> Cfr. Id. ad VI, § I.

<sup>5</sup> S. C. C. in *Giennen*, 26 jul 1582.

<sup>6</sup> Id. ad VI.

<sup>7</sup> Decret. *Ne temere* cit. ad. VII.

<sup>8</sup> Ibid. ad VII — Cfr. S. C. C. 7 jul. 1908, ad VI.

<sup>9</sup> S. C. Sacr. 29 jun. 1908 — Cfr. Lehmkuhl. in Schneider. *Mannale Sacerdot.* pag. 338.

n) Parochus nunc post decretum *Ne temere* licite assistit matrimonio constito de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii. Quoad domicilli notionem, antiqua disciplina, hucusque immutata, ad haec reducitur:

a) Domicilium adquiritur facto habitationis in loco et animo ibi perpetuo manendi. — Ad quasi-domicilium <sup>1</sup> praeter factum, requiritur solummodo animus consistendi in loco « per maiorem anni partem ». — Licet matrimonii celebrationem habere ratio dumtaxat menstruae commorationis; non licet quasi-domicilii <sup>2</sup>.

b) Qui simul plures habet Parochos proprios, coram singulis valide potest contrahere matrimonium.

c) Ubi alia non suppetit probatio, animus perpetuo manendi, ex decennali habitatione, animus vero manendi per maiorem anni partem, ex unius mensis habitatione « juridice praesumitur ».

d) Quoad vagos extra necessitatis casum Parocho non licet eorum matrimoniiis adistere nisi re ad Ordinarium nec ad ab eo delegatum Sacerdotem delata, licentiam adistendi impetraverit <sup>3</sup>.

e) Filiifamilias <sup>4</sup>, qui sui juris non sunt, valide contrahunt: a) in domicilio aut quasi-domicilio parentum; b) in proprio quasi-domicilio si forte habeant; c) contrahunt autem valide in solo proprio suo domicilio si, relicta parochia parentum, aetate maiores, emancipati aut alias sui juris sunt effecti.

f) Famuli et ancillæ habent quasi-domicilium in paroecia in qua herus ipse habet domicilium vel quasi-domicilium, dummodo saltem ad semestre operam suam locaverint; nec ideo amittunt prius domicilium v. g. patris, fratri, tutoris, etc., cui non renuntiaverint.

g) Publicum munus exercentes, praetores, judices, professores, publici officiales, etc., valide contrahunt in loco sui officii; idem dicendum de discipulis et puellis, studiorum aut educationis causa, in extraneo loco commorantibus, et de carcere detentis saltem ad semestre, qui omnes coram Parocho loci, non autem coram capellano, valide matrimonium possunt inire.

h) Milites <sup>5</sup> valide contrahunt coram Parocho loci ubi sunt in praesidiis seu stationibus vel castris; item, coram Parocho antiqui domicilii, si quod habent. — Miles in expeditione, aut qui ad breve tempus pro militari instructione vocatur, si antiquum domicilium nullum habeat, vagus est. — Capellani militum non possunt eorum matrimoniiis assistere nisi speciale ad hoc commissionem acceperint.

i) Infirmi degentes in hospitalibus <sup>6</sup> valide contrahunt coram Parocho loci vel coram Parocho loci vel coram capellano debitis facultatibus instructo, si nullum alibi domicilium habeant; secus, requiritur in ipsis intentio manendi in hospitali saltem per semestre, quæ intentio juxta medici declarationem est interpretanda. Si duratio infirmitatis non est ad semestre, non valeret matrimonium; si prorsus dubia est duratio, transacto semestri valet matrimonium, infra semestre res dubia est, et ad Ordinarium deferenda.

<sup>1</sup> Cfr. S. Offic. 7 jun. 1867, 2 maj. 1877.

<sup>2</sup> Declar. S. C. C. in *decret. Ne temere*, 1 febr. 1908, n. V, § 4.

<sup>3</sup> *Ne temere*, citat. § IV.

<sup>4</sup> Cfr. Benedict. XIV, *Instit.*, 13 et 88.

<sup>5</sup> Id. Ibid. 328, n. 9.

<sup>6</sup> Cfr. Gasparri, n. 931.

x) Ruri manentes<sup>1</sup> rusticandi, recreationis, aut instaurandæ valetudinis causa, nequeunt contrahere coram Parocho rurali, nisi per mensem ibi commorati fuerint, vel in loco domicilium habeani ex alio titulo.

y) Suspensionem late sententiae incurrit Parochus vel sacerdos, sive sacerdotalis sive regularis, qui ausus fuerit extraneos sponsos absque proprii eorum Parochi licentia, matrimonio vel benedicere<sup>2</sup>.

z) Præter parochum, duo saltem testes<sup>3</sup> necessario debent sub poena nullitatis assistere matrimonio.

aa) Testes quilibet<sup>4</sup> possunt adhiberi, dummodo sint de jure naturali ad testificandum idonei; ita: etiam mulieres, pueri [sufficientis advertentiae capaces], parentes, famuli, infideles, infames, casu transeuntes, aut etiam per vim, vel metum ad assistentiam coacti. Ad rem antiquitus vigeant Tridentinae diispositiones sequentes:

aa) De modo assistentiae<sup>5</sup> [simultaneæ<sup>6</sup>] testium, quæ non materialis solum, sed formalis et moralis esse debet, idem omnino jura statuunt ac de ipsius assistentia Parochi.

bb) Ubi caput Tametsi<sup>7</sup> fuit publicatum, omnes omnino fideles, etiam alienigenæ et vagi, illo tenentur. Valeret tamen matrimonium absque forma Tridentina si lex esset absolute observata impossibilis<sup>8</sup>, impossibilitate diurna<sup>9</sup> et communis<sup>10</sup> [privata, enim, non excusat]. Ita valeret coram testibus saltem [qui practice in omni casu possunt inveniri] celebratum, si vera adesset, physica aut moralis, impossibilitas «diurna et communis» habendi sacerdotem.

cc) Exemptus a lege, contrahens cum parte non exempta [in loco tamen ubi non vigeat caput Tametsi], ipsi suum privilegium communicat<sup>11</sup>, et valetmatri monium absque forma Tridentina celebratum.

dd) Qui tenentur lege Tridentina, si transeant in locum ubi non vigeat, generaliter nulliter contrahunt. Excipe: a) si uterque vel alteruter sit vagus; b) si prius domicilium omnino dereliquerint; c) si unus, in loco non Tridentino habeat domicilium<sup>12</sup>; d) si transeuntes in prædictum locum non Tridentinum tali animo et facto se gesserint ut ibi sufficiens de stricto jure domicilium aut quasi-domicilium potuerint comparare<sup>13</sup>.

ee) Transeuntes de loco ubi vigeat Tridentinum ad alium ubi non vigeat «in fraudem legis», idest, si ibi saltem quasi-domicilium non acquirant, nulliter contrahunt<sup>14</sup>.

ff) Matrimonia hæreticorum inter se, vel mixta cum catholicis, absque forma Tridentina, valida sunt in illis locis pro quibus S. Sedes ea esse valida declaravit; nulla sunt in illis pro quibus S. Sedes ea nulla declaravit; deficiente declaratione,

<sup>1</sup> Cfr. S. C. C. in Parisen. 14 dec.

1889.

<sup>2</sup> Trid. XXIV, 1 pro locis tridentinis.

<sup>3</sup> Trid. Ibid. — Cfr. D.D. in tit. de Imp.

Clandestinatis; Ne temere cit. ad III.

<sup>4</sup> S. Alphons. V, 1086.

<sup>5</sup> Gasparri, 954, Lehmkubl, II, 799,

Sanchez III, 39.

<sup>6</sup> S. C. P. F. 2 jul. 1827.

<sup>7</sup> Trid. XXIV, 1; Benedict. XIV, Pau-

cis, 19 mart. 1758. — Cfr. S. Offic. 1 maj, 1887.

<sup>8</sup> S. Offic. 6 jul. 1817.

<sup>9</sup> Id. in Vallispranen. 1 jul. 1863.

<sup>10</sup> Cfr. S. Alph. 1079; D'Annibale, III,

460.

<sup>11</sup> D'Annibale, III, 452.

<sup>12</sup> S. C. C. in Parisien, 12 august.

1882.

<sup>13</sup> Gasparri, 991.

<sup>14</sup> Urban. VIII, 14, august. 1627; Be-

nedict. XIV. Ad Archiep. Goanum, 19

mart. 1758.

recurrendum est ad S. Sedem. Certe nulla sunt in Galliis, in Italia, in Hispania, etc.; valida autem in Hollandia, Bavaria, Hungaria, Hibernia, Russia, Polonia, Helvetia, Westphalia, Serbia, Bulgaria, Turcica, etc.<sup>1</sup>. Ad rem ex nuperrimis declarationibus in decreto *Ne temere* nunc vigent sequentes dispositions:

1) Matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta, est invalidum<sup>2</sup>.

2) Sub nomine acatholicon comprehenduntur etiam schismatici et haereticii rituum Orientalium<sup>3</sup>

3) Exceptio, per Cons. *Provida* in Germania inducta et ad Hungariam extensa pro Germania et Hungaria tantum ac pro inibi natis et inibi matrimonium contrahentibus etiam personalis valet<sup>4</sup>.

4) Ad decretum *Ne temere* tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi [licet sive hi, sive illi ab eadem postea dafecerint], quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant<sup>5</sup>.

5) Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis, sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum<sup>6</sup>.

6) Acatholici sive baptizati, sive non baptizati, si inter se contrahunt, nulli ligantur ad catholicam sponsalium vel marionii formam servandam<sup>7</sup>.

### § III. — De ab impedimentis dispensationibus.

SUMMAE RERUM. — 359. Animadversiones praeviae. — 360. Canonicae in re leges recoluntur, et primum de Pontifice dispensatore. — 361. Episcopi in re jura quae. — 362. Dispensationum cause. — 363. Quae in re tribunalia adeunda. — 364. De petitionis libello redigendo. — 365. De scripti forma. — 366. De eius interpretatione, vitio ac cessatione. — 367. De dispensationis executione. — 368. Quoad dispensationes in genere magni momenti animadversio.

359. — Haud minoris practicae utilitatis quæ impedimentorum cognitio, profecto erit de dispensatione qua eadem auferuntur loqui. De quo argumentio ad S. S. Canonum normam haec compendiose ponimus.

#### 360. — Quoad S. S. Pontificem:

I. Ex generali principio, ille potest dispensare in lege qui legis est auctor. — S. Pontifex<sup>8</sup> dispensat in omni dispensabili impedimento cum omnibus universi orbis fidelibus, quam facultatem non per seipsum, sed per Tribunalia Romæ ad hoc constituta, solet exercere.

II. Non potest S. Pontifex dispensare in impedimentis quæ sunt juris divini, sive naturalis sive positivi, qualia sunt: impotentia, ætas, ligamen, matrimonio consummatus.

<sup>1</sup> Gasparri, 971 et seq.: Benedict. XIV, Matrimonio, 4 nov. 1741; D'Annibale,

III, 459.

<sup>2</sup> Cfr. S. C. Offic., 31 mart. 9111.

<sup>3</sup> Declarat. S. C. C., 1 febr. 1908, ad I.

<sup>4</sup> Id. Declar. 18 jun. 1909.

<sup>5</sup> Decret. *Ne temere* cit. Ad XI, § 1.

<sup>6</sup> Id. Ibid., § 2.

<sup>7</sup> Id. Ibid., § 3.

<sup>8</sup> S. Alph. VI, 1118.

mato, defectus consensus ejusve simulatio, defectus discretionis, error, vis et metus, consanguinitas in primo saltem gradu linea rectæ.

III. Non solet dispensare S. Pontifex in gravioribus quibusdam impedimentis juris ecclesiastici, qualia sunt: affinitas in primo gradu linea rectæ, orta ex copula licita, votum solenne castitatis, Ordo, crimen publicum, conjugicidii, disparitas cultus in regionibus christianis, saltem ad matrimonium contrahendum.

IV. Non eagent dispensatione: raptus, clandestinitas, vitium consensus.

### 361. — Quoad Episcopos:

I. Non possunt jure proprio et ordinario ab impedimentis dirimentibus dispensare. — Possunt tamen, ex presumpta delegatione, et jure quasi-ordinario<sup>2</sup>, dispensare in duplice casu: 1) in impedimentis dubiis dubio facti, nisi pro existentia impedimenti violenta habeatur presumptio, 2) in impedimentis occultis, ut infra.

II. Possunt Episcopi, pro foro interno, gravi urgente necessitate, dispensare in impedimentis occultis<sup>3</sup>, in quibus tamen soleat Papa dispensare, in duplice circumstantia: 1) si, matrimonio contracto publice, et consummato cum bona fide saltem unius conjugis, ac præmissis denuntiationibus, detegatur subesse impedimentum, nec fieri possit putatorum conjugum separatio; 2) si, matrimonio statim contrahendo obstet impedimentum occultum de quo, absque gravi incommmodo, non possit a S. Sede impetrari dispensatio.

III. Jure delegato, solent Episcopi, vi facultatum a S. Sede sibi concessarum [quæ triennales, quinquennales vocantur], dispensare ab aliquibus impedimentis, necnon litteras Apostolicas in quibusdam determinatis conditionibus convalidare.

IV. Eodem jure Episcopi possunt, sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam<sup>4</sup>, dispensare urgente necessitate, cum constitutis in gravissimo periculo mortis, super impedimentis publicis omnibus de jure ecclesiastico, exceptis sacro presbyteratus Ordine et affinitate linea rectæ ex copula licita proveniente<sup>5</sup>. Quod valet etiam pro his qui juxta leges civiles sunt conjuncti, aut in concubinatu vivunt, sive impedimentum officit directe aegrotum, sine directe compartem bene valentem<sup>6</sup>.

V. Episcopus qui vi indulti dispensat, stricte debet observare terminos indulti. Hinc, indultum generale extendi nequit: — a) ab uno impedimento ad aliud, licet minus grave, v. g. a consang. ad honest. publicam [attamen qui facultatem habet dispensandi in aliquo gradu, potest etiam dispensare super impedimento multiplice in eodem gradu], — nec b) ab una ejusdem impedimenti specie ad aliam, ab una linea ad aliam, nec c) a matrimonio contracto ad contrahendum, — nec d) a gradu [simplici vel mixto] remotiori ad propinquorem, immo, probabilius — nec e) a gradu [simplici vel mixto] propinquori ad remotiorem; non enim valet in casu adagium « qui potest plus, potest et minus ». — nec f) a sensu diviso ad compositum, idest a facultate dispensandi separatim [v. g. super consang., affinit., hon. publica, etc.], ad facultatem dispensandi super iisdem conjunctim in eodem casu occurribus.

VI. Episcopus qui dispensat virtute indulti Apostolici, omnes servare debet regulas quae servari solent apud Curiam Romanam in petendis, concedendis et exsequendis dispensationibus; — in dispensatione mentio fieri debet delegationis Apostolice.

<sup>1</sup> Ballerini-Palmieri, *Op. cit.* n. 1407.

<sup>2</sup> Gasparri, 407.

<sup>3</sup> Id. 408, 409; D'Annibale III, 498.

<sup>4</sup> S. Offic. 2 mart. 1889.

<sup>5</sup> S. Offic., 20 febb. 1888; Id. 9 jan.

1889; Id. 23 aprile 1890.

<sup>6</sup> S. Offic. 22 sept. 1890; id. jul. 1891 —

Cfr. S. C. Sacr. 14 mai 1909: infra cit.

Episcopus potest uti sua facultate dispensandi v. g. in consanguinitate, etiamsi incestus commissus fuerit cum intentione facilius obtinendi dispensationem<sup>1</sup>.

VII. Subdelegare potest Episcopus suas facultates: a) in casu urgentis necessitatis, b) in casu impedimenti dubii, c) si delegandi licentiam ex indulto habeat.

VIII. « Indultum » latam interpretationem: strictam autem « ipsa dispensatio » patitur.

IX. Non potest Episcopus dispensare nisi cum suis subditis propriis ratione domicilli aut quasi-domicilli, et cum vagis qui in sua dioecesi morantur. — Sufficit dispensatio concessa ab Episcopo alterutrius partis<sup>2</sup>.

X. Vicarius capitularis easdem exercet ac Episcopus facultates dispensandi in iis omnibus quæ ad ordinarium aut quasi-ordinarium munus episcopale referuntur. — Vicarius Generalis, vi sui officii, non dispensat nisi speciale ad hoc mandatum acceperit<sup>3</sup>.

### 362. — Quoad dispensationis causas<sup>4</sup>:

I. Præcipuae causæ dispensationis ab impedimento publico sunt: 1) angustia loci, — 2) ætas proiecta feminæ, quæ 24 ætatis suæ annum sit egressa, — 3) defectus dotis competentis, — 4) extinctio vel remotio litium super successione bonorum, — 5) paupertas viduæ, — 6) nimia, suspecta, periculosa familiaritas aut coabitatio, quæ facile non possit impediiri, — 7) copula et prægnantia sponse, ideoque legitimatio prolixi, — 8) infamia mulieris, — 9) revalidatio matrimonii quod bona fide et publice, servata forma *Ne temere*, contractum fuit, — 10) periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi, — 11) periculum matrimonii civilis, — 12) remotio scandali, — 13) cessatio publici concubinatus, — 14) dignitas personæ, — 15) excellentia meritorum, etc... — Aliæ, etiam minus frequentes allegari possunt, pro circumstantiarum opportunitate, causæ dispensationis.

II. Graviori impedimento, gravior etiam respondere debet ratio dispensandi, quæ ideo juxta naturam impedimenti, qualitates personarum et circumstantiarum exigentiam est pensanda. — Insuper, « quæ non prosunt singula, multa juvant ».

### 363. — Quoad dispensationis tribunalia<sup>5</sup>:

I. Duplex Roma Tribunal præcipuum ordinarium existit ad dispensationes concedendas nomine S. Sedi: Sacrament. Congregatio, et S. Paenitentiaria.

II. Præterea, dispensat S. C. de Propaganda Fide, generatim in omnibus impedimentis, pro regionibus Missionum; Secretaria Brevium, pro Principibus; S. C. S. Oficii, in casibus quibusdam specialibus in matrimoniis mixtis, disparitate cultus perfecta, et in his omnibus in quibus recensitis partem habent<sup>6</sup>.

III. Sacramentor. Congregatio<sup>7</sup>, pro foro externo tantum, dispensationes concedit super impedimentis publicis, aut quæ mox publica fore prævidentur, qualia sunt præsertim: consanguinitas, affinitas licita, cognatio spiritualis, honestas publica, et per episcopalem Curiam ad eam recurrentem est.

IV. In Sacramentor. Congregatione, nisi dispensatio concedatur « in forma pauperum », solvenda est taxa pecuniaria pro labore officialium et expensis Cancelleriae,

<sup>1</sup> Leo XIII, 28 jun. 1885.

<sup>2</sup> S. Poenit. 4 sept. 1839, 15 april.

1853; S. Alph. VI, 1142.

<sup>3</sup> D'Annibale, III,

<sup>4</sup> Cfr. Instruct. S. C. P. F. 7 maj. 1877.

<sup>5</sup> Cfr. C. Sapienti consilio [29 jun.

1908] de reformat. Curiae Romanae.

<sup>6</sup> Benedict. XIV, C. Gravissimum, 26

nov. 1745: Gasparri, 113.

<sup>7</sup> Pius PP. X. Constit. Sapienti Con-

silio, cit.

et insuper componenda, eaque major vel minor juxta naturam impedimenti personarumque fortunam et qualitates. Ad rem:

a) Pauperes reputantur ii quorum fortuna sive « capitale » actuale et ab omni onere liberum circiter 3000 fr. non excedit; fere pauperes, pro quibus modica admodum componenda exigitur, ii dicuntur qui non ultra circiter 10,000 fr. possident. — In omni casu, ad determinandam componendam, fortuna computatur ex utriusque sponsi facultatibus, excepto casu matrimonii mixti.

V. S. Pænitentiaria pro foro interno conscientiae concedit dispensationes super omnibus impedimentis occultis, qualia sunt v. g. ea quæ ex criminis et præcipue ex copula illicita proveniunt, et directe [tacito nomine oratoris] ad eam fit recursus. Non cessant ejus facultates morte S. Pontificis, nec habet vacationes.

VI. S. Pænitentiaria insuper: a) potest convalidare dispensationes a S. C. Sacr. concessas, sed invalidas ob reticitam occultam circumstantiam necessario declarandam, si hæc occulta remanserit; b) quandoque dispensat super impedimento sua natura publico, quod tamen re est occultum; c) dispensat regulariter pro foro externo, tempore vacationum Congreg. Sacram.

VII. Nulla solvit componenda aut taxa in Pænitentiaria pro occultis impedimentis; si quæ tamen, etsi valde exigua, de jure sit percipienda, ad S. C. Sacram. transmittitur.

#### 364. — Quoad libellum petitionis:

I. Pro impedimento « occulto » cuius « in foro conscientiae » dispensatio postulatur, libellum petitionis conficit confessarius alterutrius sponsi.

II. Pro impedimento « publico » cuius « in foro externo » dispensatio est impetranda, libellum conficit Parochus sponsæ, vel partis impedimento specialiter subjectæ. — Mittitur libellus ad Ordinarium sponsæ regulariter, nisi tamen, propter periculum violationis sigilli sacramentalis, aut infamie alicujus ab oratoribus subeundæ, adit necessitas recurrendi Romanum immediate.

III. Dispensatio petitur nomine oratorum, iis etiam insciis, si ita agendum prudenter suadeat.

IV. Si impedimento publico adjungatur occultum, vel circumstantia occulta necessario declaranda, duplice distincta petitione utrumque adiri debet tribunal, S. C. Sacr. pro foro externo, Pænitentiaria pro foro interno; quo in casu, libellus ad Pænitentiariam missus exprimere debet petitionem factam aut faciendam dispensationis super impedimento publico apud S. Sacr. C. Ordinarie expedit prius adire Pænitentiarium.

V. Libellus supplex latine pro S. C. Sacram. conscribitur; vernacula lingua confici potest pro Pænitentiaria, et quidem quam clarissime debet exhibere casum, necnon, reticito semper nomine oratorum<sup>1</sup>.

VI. In libello petitionis pro impedimento publico exprimenda sunt: 1) nomen et cognomen oratorum, 2) dioecesis originis vel actualis domicilii, 3) species « etiam infima » impedimenti, 4) gradus consanguinitatis vel affinitatis, aut honestatis publice ex matrimonio rato, 4) item linea, et, si adsit, multiplex vinculum propinquitatis, 5) numerus impedimentorum, 6) causæ dispensationis, præsertim ex parte oratricis, non tamen causæ infamantes occultæ, 7) status fortunæ, si solvi debeat componenda.

<sup>1</sup> Cfr. Document. XXV, ad vol. calc.

— Cfr. Aertryns, *Theolog. Moral.* VI, n. 629.

VII. Libellus petitionis pro impedimento occulto eodem modo conficitur; tacentur nomina oratorum, necnon status fortunæ quia dispensatio gratis concedi solet. — Circumstantia incestus sponsorum non est in libello necessario declaranda, etiam si patratum ut facilius dispensatio obtineatur<sup>2</sup>.

VIII. Ubi petenda est dispensatio ad convalidationem matrimonii jam contracti, alia sunt exprimenda in libello petitionis, de quibus vide infra ubi de matrimonii revalidatione dicemus.

365. — Quoad dispensationis rescripti formam eiusque observantiam:

I. a) Alia conceduntur in forma grata [hodie rarissime] quando, scilicet, ipsem dispensator immediate applicat dispensationem oratoribus;

b) Alia in forma commissoria, quando dispensatio Ordinario vel confessori, juxta fori diversitatem, exequenda committitur, et hæc sola hodie adhibetur;

c) Apud S. Sacr. Congreg. alia rescripta dantur in forma ordinaria, cum solutione componendæ, alia in forma pauperum, gratis.

II. Observanda sunt adamassim clausulae descriptorum quibus hæc præcipue statuuntur:

1) detur prius absolutio a censuris ad effectum dispensationis consequendum;

2) nullum præmium executor dispensationis audeat accipere; 3) instituatur verificatio precum ab executore, quæ tamen verificatio non requiritur ad validitatem dispensationis: sufficit si, ante acceptam commissionem, constet delegato de veritate precum; 4) mandetur executioni dispensatio et proles suscepita, vel suscipienda legitima declaretur; non ita de prole adulterina.

366. — Quoad rescripti interpretationem, vitium ac cessationem:

I. Observanda sunt in rescriptis matrimonialibus generaliter statuta principia de interpretatione, vitiis et sanatione descriptorum in genere, præsertim quoad obrepitionem et subreptionem attinet.

II. « Dispensatio », quæ est « vulnus legis », strictam interpretationem patitur; tantum valet quantum sonat; non debet extendi ad casus similes, nisi extensio illa de mente dispensantis esse appareat; non valet argumentum a majori ad minus, v. g. dispensatio in 2º gradu non valet pro 3º. — E contra « indultum » aut facultas dispensandi est in jure favorabilis et ideo late interpretanda.

III. Generatim sola mala fides punitur nullitate dispensationis, quia nemini fraus sua patrocinari debet. — Nihilominus, stante etiam bona fide, nulla est dispensatio: a) si in libello omititur allegatio de jure aut stylo Curiae necessario requisita, b) si falsa allegatio, in rescripto inserta, vera fuit causa finalis concessæ dispensationis; secus, si obreptio fuit tantummodo causa mere impulsiva vel motiva.

IV. Vitium dubium non reddit dispensationem invalidam. — Dispensatio obtenta in forma pauperum, si oratores revera pauperes non sunt, non censetur invalida<sup>2</sup>. — Oratores tamen tenentur solvere componendam S. C. Sacramentorum.

V. Nova supplicatio Romanam mittitur, idest petuntur litteræ perinde valere, quoties mutatio quedam solemnitatis desideratur in rescripto prius obtento, aut imputanda est sanatio vitii invalidantis rescriptum. Facta petitione, S. Sedes novam dispen-

<sup>1</sup> Leo XIII, 25 jun. 1885.

<sup>2</sup> S. Poenit. 11 nov. 1890.